

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
DE
DOLORIBVS
PARTVM PROMOVENTIBVS,

QVAM
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
D. IVNII CIOIOCLXII.

PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO,

D. IO. PETRO EBERHARDO


MEDICINAE PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
ACAD. IMPER. NAT. CVRIOS. ET ELECT. MOCVNT. SCIENT.
VTIL. SODALI, SOCIETAT. TEVT. IENENS.
MEMBR. HONOR.

FACVLTAT. MEDIC. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMNISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
LEGITIME IMPETRANDIS,

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBICIET
AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES SIEGISMVNDVS SACHSE
GOLDBERGENSIS SILESIVS.




HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICAE
 DE
DOCTORIBVS
PARTVM PROMOVENDIBVS
 IN ALMA REGIA FRIDERICANA
 UNIVERSITATE
 VIRO HONORABILISSIMO, AC PRAESIDENTI
 FACULTATIS MEDICAE
FRIDRICH FRIDERICO
 MEDICINAE DOCTORE, ET
 FACULTATIS MEDICAE
 PROGRADVS DOCTORIS
 SVMMVSQVE IN MEDICINA HONORIBVS
 PRAEDITVS
IOHANNES SIGISMUNDVS SACHSE
 AUCTORIS
 HONORABILISSIMO, AC
 FACULTATIS MEDICAE
 RECTORI
 HONORABILISSIMO, AC
 FACULTATIS MEDICAE
 DECANO
 HONORABILISSIMO, AC
 FACULTATIS MEDICAE
 DECANO





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
DE
DOLORIBVS
PARTVM PROMOVENTIBVS.

PROOEMIUM.



Multa licet circa generationis
negotium falsa fictaque olim
proposita sint, imo adhuc-
dum in medium proferan-
tur; negari tamen nequit,
haud pauca quoque in hac re explicanda pro-
poni posse, quae non probabilia modo sunt,

sed certa quoque & euicta. Docuit nos recentioribus temporibus Anatomica scientia, multa, quae antiquis fuere incognita, & HARVEII, MALPIGHII & Perillustr. de HALLER indefessa industria, tenebras ita discussit, ut spes superstit obsecurissimam hanc rem, tandem eodem modo illustrari posse, quam aliae veritates physiologicae explicantur, de quibus amplius dubitari nequit. Ipsa foetus exclusio mire Medicorum exercuit ingenia. Modo enim foetum sibi ipsi viam parare existimarunt, modo animae salutari conatu expelli ex utero. Non minus in diuersas abiire sententias, qui a viribus foetus partum deduxere. Quidam sensu ingrato famis vexatum foetum, motus varios excitare crediderunt, alii excrementorum & urinae copia irritari existimarunt. Alii hoc respirandi desiderio adscripserunt, alii denique acrimoniae liquoris amnii. Verum haec omnia non esse unicam & primariam partus causam, docet partus foetus iam ante partum mortui. Vita enim foetus cessante, cessabit ingratus sensus famis, lotii & meconii accumulati. Alii actio-

actionem diaphragmatis & musculorum abdominalium primariam partus causam esse existimarunt. Verum, principalis atque primaria expulsionis foetus causa, manifesto latet in ipso utero, eiusque fibris musculosis, quibus conuulsive agentibus, uterus fit angustior, foetumque expellit. Reliquae causae, actio foetus angusti carceris impatientis, actio diaphragmatis & musculorum abdominalium, causae tantum sunt adiuuantes partum adeoque secundariae. Spasticae hae & conuulsivae uteri stricturae, cum absque dolore fieri nequeant, oriuntur inde sic dicti *dolores partus*. Hi cum varii sint generis, & partum modo promoueant modo retardent; iusta vero horum dolorum cognitio Medico quam maxime sit scitu necessaria, non inutilem me suscepturum spero laborem, si in Inaugurali hac mea Dissertatione, eos potissimum *dolores qui proxime partum promouent*, paullo curatius considerauero. Hoc ut eo rectius succedat, 1) De *utero* pauca delibabimus, quae ad scopum nostrum sunt necessaria. 2) De *doloribus parturientium in*

genere agemus, 3) Ipsos dolores explicabimus *partum promouentes*, & tandem 4) pauca subiungemus de iis *doloribus qui partum non adiuuant*. Ut vero Deus T. O. M. haec conamina qualiacunque mea, fausta esse iubeat, Lectorque beneuolus iis faueat, oro optoque.

S E C T I O I.

D E

V T E R O E I V S Q V E S T R U C T V R A.

§. I.



Praecipuum illud generationis organon elasticum, substantiae musculosae & cellulosae, arteriis sanguiferis copiosissimis ductu serpentino progredientibus, ac venis repletum, figuram lagenae complanatae habens, situm inter vesicam vrinariam atque intestinum rectum, & in parte inferiori, vbi fit conus truncatus, a vagina inclusum, saluatur *Vterus* siue *Matrix*.

Schol. Descripsimus hic vterum virgineum, a quo grauidus in eo differt, vt figura eius complanata ac truncata conuertatur in sphaeroideam, molesque mirum

in

in modum augeatur successiue. Vtteriorem & accuratorem vteri virginei descriptionem, vide in *Perillustr.* de HALLER *Physiol.* cap. 34. p. 529.

§. II.

Vterum virgineum in tres partes diuidunt Anatomici, in *Fundum*, qui superiorem quasi parietem constituit, crassiolem, ab vno tubarum Fallopianarum orificio ad alterum progreditur, nullamque cavitatem habet; in *Corpus*, cuius limites a fundo vsque ad minimam vteri latitudinem procedunt; inque reliquam partem, vaginae vicinam, quae *Cervix* siue *Collum* audit.

§. III.

Pars illa cervicis vteri, quae intra vaginam haeret. 4. vel 5. lineas longum circiter, *Orificium* vteri; huius autem rima transuersa *Apertura Orificii vterini externa* appellatur; rima vero interior cum externa vnum canalem continuum constituens *Apertura Orificii vterini interna* dicitur.

§. IV.

Est autem praecipua vteri substantia cellulosa, interpositis in fundo potissimum & inter tubas, fibris musculosis. Hae fibrae varie in circellos dispositae sunt, adeoque se vi musculosa contrahentes cavitatem vteri minuunt. Optime hae fibrae in vtero grauido demonstrantur. Externe vterus cingitur firma & elastica tunica, a peritoneo producta. Gaudet praeterea vasis copiosissimis arteriosis arque venosis, tortuoso itinere densam illam vteri substantiam permeantibus.

Schol.

Schol. Antiqui olim mere musculosum crediderunt. Vid. b. HEISTERI *Comp. Anatom.* pag. 103. sed docuit recentior Anatomia, quoad maximam partem eum constare densa & elastica tela cellulosa. Fibras tamen haud paucas musculosas adesse, docet non modo autopsia, sed ingens quoque vis qua se contrahit, ipsaque eius irritabilitas, quae non cadit nisi in fibras musculosas.

§. V.

Linea ab vna tubarum insertione ad alteram ducta, est *axis uteri* transuersalis; ex medio vero fundi per medium rimae transuersalis quae transit, uteri axis longitudinalis audit. Haec & Peluis axis vna eademque est, confer. Celeb. ROEDERERI *Programma de Axi Peluis.*

SECTIO II.

DE

DOLORIBVS PARTURIENTIVM

IN. GENERE.

§. VI.

Omnes dolores parturientium in eo conueniunt, quod semper fiant cum constrictione quadam fibrarum muscularium uteri, sensu ingrato tensiuo aut lancinante comite, vnde quoque nomen acceperunt.

§. VII.

Ipsi autem multum inter se differunt, tam ratione temporis, quam ratione effectus. Ad tempus enim

si attendimus, alii iam inuadunt diu fatis & saepe plures dies ante partum, alii ipsi partui coniunguntur, alii autem accedunt, foetu iam iam expulso. Ratione effectus, non minor adest horum dolorum differentia, alii enim foetum ex utero pellunt, alii autem partum plane non promouent, aut impediunt. Diuidi ergo possunt dolores parturientium.

- I) in eos, qui partum excludunt, de quibus Sect. sequenti.
- II) in eos, qui exclusionem foetus non promouent, &
- III) in eos, qui exclusionem foetus impediunt; de his duabus speciebus Sect. IV. agam.

§. VIII.

Cognoscuntur autem varii hi dolores, ex symptomatibus se simul in grauida exerentibus. Sic veri partus dolores in dorso incipiunt, & successiue versus inguina progrediuntur, pulsus simul est celerior, facies rubet, orificium uteri aperitur, & parturiens ipso dolore ad pressionem exercendam inuita quoque cogitur. Vagi contra & spurii dolores, sensum exhibent dolorificum vagum, modo transuersum per abdomen, modo sursum modo deorsum.

Schol. Hac dolorum diuisione obseruata, ad quaestionem possumus respondere, sintne dolores morbus nec ne? Cum enim omnis morbus sit impotentia exercendi actiones, quae homini competunt, ratione sexus, vitae generis, aetatis &c. parer, omnes dolores

lores (§. VII. num. I.) plane non esse morbos; illos vero (§. VII. num. II. & III.) omnino esse morbos iudicandos. Priores enim cuilibet faeminae grauidae competunt, neutquam vero posteriores.

SECTIO III.

DE

DOLORIBVS, QVI PARTVM ADIVVANT.

§. IX.

Dolores de quibus nunc loquimur, *labores* etiam vocantur. In principio statim monemus, non semper post tales labores, si etiam fuerint vehemētissimi, statim sequi exclusionem foetus, in partibus enim praeternaturalibus horum auxilium frustraneum erit, nisi artis opera praeternaturalis status remoueatur. Sine doloribus autem quibusdam partus concipi nequit. Oportet itaque vt a primis horum principiis, attenti sint adstantes, ne negligentia matri vel foetui inferatur detrimentum.

§. X.

Omnes dolores, qui partum promouent, differunt ratione temporis ac efficaciae suae, vt diximus de doloribus parturientium in genere (§. VII.). Priores tempore ac debiliores, sunt dolores *praesagentes*, hos excipiunt *veri*, vltimi vero ac validissimi sunt dolores *conquassantes*.

§. XI.

§. XI.

Vterus paulo post conceptionem successiue mole crescit, quam autem ante tertium mensem finitum vix vnquam obseruabimus. Post medium vero grauiditatis terminum, moles vteri expansumque inde abdomen, in oculos sat euidenter incurrunt, atque fere vsque ad vltimum partus momentum distensio haec augetur. Iam memorata autem expansio primum aggreditur fundum, post hunc corpus tandemque ceruicem vteri. BOERHAAVIUS aliique explicationem addunt, quomodo vterus in tantam molem expanderetur; Cumque corpusculo tenerrimae texturae Ouulo inquam, vim vteri partes sat firmas, inferius quasi cartilagineas extendendi tribuant, minime huic sententiae assensum praebeo, cum mihi potius arideat modus, quem Celeberr. ROEDERER in *Elementar. artis obstetriciae* exposuit. §. 64-67. Accumulatur nempe sanguis in vasis vteri, qui tempore menstruorum accedente effluere deberet, ouulum vero huius exitum impedit vtero annatum, ergo sanguis stagnat, vasa extendit, sensim pedetentimque ob resistentiam minorem factam immensa cruoris copia aduehitur, tantamque molem producit, expansione semper externam superficiem versus directa.

§. XII.

Vterus igitur expanditur vna cum ouulo, quod determinata mole acquisita, vna cum ipso vtero grauius fit, versusque vteri ceruicem tendit, fibrae huius ceruicis extenduntur, atque san-

guine priuantur ob pressionem capitis, ergo ceruix protruditur in vaginam, simulque liquor amnii ex pondere descendit, & in regione superiori spatium vacuum relinquit. Sic resistentia remota, agunt fibrae spirales fundi, quibus contractis axis transversalis imminuitur, contentaque uteri versus segmentum inferius protruduntur. Elasticae uteri fibrae tum validissime se contrahunt, quia circulares orificii uterini debilitatae sunt; per hanc contractionem fit maior appropinquatio fundi ad ceruicem, ex hac vero validior pressio versus ceruicem, indeque huius attenuatio atque laborum orificii deterfio.

§. XIII.

Si vero hae fibrae circulares orificii, iterum resistunt antagonists suis decenti vigore, sicque resistentiam fundo praebent, remanent in quiete, donec de nouo aequilibrium aufertur ac successiuus in fultibus orificium uteri aperitur. Tales autem constrictiones uteri, quae vsque dum apertum fuerit orificium uteri, durant, saluantur *dolores praesagentes*.

§. XIV.

Hisce doloribus praesentibus, grauidae percipiunt sensum tensionis ingratum, qui a regione lumbari versus os pubis & sacrum progreditur: anxietatem praecordiorum, difficiliorem respirationem, ac vehementem stimulum ad vesicam & aluum exonerandam, ex insolita vesicae urinae & intestini
recti

recti pressione ortum. Cito transeunt hi labores,
nec facile frequentes redeunt.

§. XV.

Distinguuntur autem praecipue a veris doloribus & conquassantibus, e statu orificii vteri, & a spuriis, per dolorem lumborum versus os pubis determinatum. Cam vero ut plurimum parturientes primiparae, nec minus crebro ipsae obstetrices recte distinguere non valeant hos dolores, saepe euenire solet, vt his inique tractatis, maximum pariatur matris ac embryonis detrimentum. Quare obstetrix semper.

- 1) Exploret digitis, qualis sit orificii vterini status; quodsi hoc nondum sit detersum,
- 2) tantum abest, vt nixus edat parturiens, vt animi & corporis potius quietem eligat.

Dolores enim si exagitantur, interdum partus fit praematurus, dilatatio vteri circa cervicem, vbi tenuissima est substantia promouetur, & quod maxime dolemdum, vires ad ipsum partum necessariae per-eunt.

§. XVI.

Sub his doloribus subsidet abdomen, hinc diaphragma sursum pressum non nihil liberatur, sicque difficilior respiratio mitigatur.

§. XVII.

Si vero orificio vteri deteriso, dolores vrgent,

crebriores ac vehementiores recurrunt, siccessive plenaria fit orificii apertio, aperturae pelvis superiori aequalis. Fibrae enim circulares nequeunt amplius resistere constrictionibus longitudinalium ac orbicularium validioribus. Liquor amnii autem e membranis chorii & amnii ruptis his membranis effluit, vaginam lubricitat & exitum foetui reddit faciliorem. Constrictiones vero, quae tale quid efficiunt, *dolores veri* audiunt.

§. XVIII.

His vrgentibus doloribus, omnia exacerbantur, dolor lumborum versus os pubis ac sacrum; affectus tenesmodes, rubet facies, pulsus fit plenus ac celer, parturientes admodum inquietae sunt.

§. XIX.

Cum vero hi dolores triplici modo possint peccare atque damnum inferre, saltem partum impedire:

- I) Si sunt nimis vehementes,
- II) Si sunt nimis debiles, &
- III) Si ouulum non in axi pelvis premunt; sequitur, vt his sedulo obuiam eundum sit
 - 1) imminuendo vim dolorum,
 - 2) vim horum augendo; &
 - 3) dolores versus axin pelvis dirigendo.

Cuncta seorsim erunt consideranda.

§. XX.

§. XX.

Nocent dolores si nimii fuerint,

- a) in omni situ vteri obliquo, quo foetus versus axin peluis dirigi naturae auxilio nequit.
- b) in omni alio partus praeternaturalis genere, quo foetus manuum opera est educendus.
- c) in eo casu, quo viae admodum angustae sunt; nimia pressione indeque facta haud raro laesione.

§. XXI.

Imminuuntur, expiratione aëris e pulmonibus, tunc enim cessat diaphragmatis actio in vterum, musculorumque abdominis voluntaria, saltem horum actio in axin peluis non directa erit. Neque parum Clysteres emollientes & lenientes ad hunc scopum conferre possunt, relaxando stricturas fibrarum nimias.

§. XXII.

Noxii sunt dolores debiles;

- a) si omnia sunt in statu naturali, propter dolorum vero defectum finiri non potest partus.
- b) Si is situs vteri obliquus est, quo foetus in axin peluis adhuc vi dolorum posset protrudi.
- c) Si funiculus umbilicalis propter nimiam longitudinem elapsus sit,

d) si

d) si placenta ob nimis breuem funiculum umbilicalem sit soluta &c.

§. XXIII.

Quamquam saepe his in casibus necesse sit vt manibus aut instrumentis vtantur obstetricantes, saepe tamen vis strenua dolorum iuuabit. Augentur vero labores.

- 1) Laboribus voluntariis. Cum enim muscoli abdominales vna cum diaphragmate, constrictione sua premendo contenta abdominalia, ipsumque adeo vterum, huius constrictiorem promoueant, multum etiam praestabunt nisus voluntarii, scilicet retentio aëris valida, quae sine depreffione diaphragmatis ac maiori compressione musculorum abdominalium esse nequit; haec melius succedunt,
- 2) firmando, quantum circumstantiae permittunt, brachia, pedes, genua, peluim ac lumbos.
- 3) Propinatis potiunculis, analepticis, roborantibus aliisque huius generis.

Schol. Hic pauca quaedam de remediis pellentibus dicendi locus erit; mitiora nempe parua dosi exhibita, vt Borrax, Crocus, Massa Pillularum Balsamicarum &c. concedi possunt ac laudari potissimum in casibus (§. XXII. num. a. & b.) allatis, in reliquis vero (n. c. & d.) non nisi singulari circumspessione sunt propinanda. Tristem vero euentum procreant in omnibus partibus praeternaturalibus, tunc enim magis debilitant matrem

matrem quam adiuuant ac saepissime inflammationi uteri causam praebent.

§. XXIV.

Quando dolores ouulum non in axin peluis premunt, auxilium potissimum adhibendum est, quod commendatur (§. XXIII. num. I.).

§. XXV.

Dolores denique *Conquassantes* concutiunt quasi totum corpus ac tremulum reddunt, minimis interuallis se se excipientes. Sunt summus gradus dolorum partum adiuuantium. Contingunt prae aliis ut plurimum primiparis, ad transitum foetus per peluim atque vaginam facilitandum, ac plethoricis, ubi haud raro in conuulsiones abeunt. Sudor exquisitissimus totius corporis, praecipue faciei, ac frontis profluit. Dolorem intolerabilem, acutissimumque, quia his urgentibus frenula primipararum lacerantur, patiuntur misellae. Saepe per aliquot tantum temporis minuta durantes, expellunt foetum, interdum autem longius protrahuntur, ut mihi aliquoties animaduertere contigit, ubi grauidae per longum temporis spatium maxima concussionem membrorum maximoque tremore affectae fuere.

§. XXVI.

Addenda hic adhuc nobis sunt pauca de *prognosi horum dolorum*. Patet enim vario modo ita affici a doloribus, sensibile admodum corpus parturientium,

vt varii pro circumstantiarum ratione morbi oriri inde possint. Cum enim dolor vel cum disruptione fibrae sit coniunctus, vel talem tamen tensionem inferat, quae disruptionem minatur, oriri inde possunt vulnerationes, cruentationes, haemorrhagiae grauisimae. Cum porro omnem sensationem excipiat maior affluxus humorum versus eam partem vbi sensatio peragitur, sanguis quoque sub doloribus partum promouentibus, maiori copia determinabitur versus vterum, hinc inflammationes gratiores, haemorrhagiae aliaeque funesta symptomata, oriri nonnunquam possunt. Ipsa dolorum vehementia nocere potest debilitando genus nervosum, & convulsiones excitando funestas, aut saltem admodum periculosas.

§. XXVII.

Quod ad dolores attinet *praesagientes*, hi vti §. XV. iam inuimus: duplici modo noxii esse possunt. *Primo* enim primiparas haud raro fallunt, vt iis accedentibus, veros adesse partus dolores existiment, obstetrices aduocent, & se ad partum accingant, viresque ad partum necessarias frustra consumant. *Deinde* in iis qui saepius iam partum experti sunt, praesagientes hi dolores si negligantur, ita haud raro dilatant vteri os vterumque constringunt, vt accedentibus celerrime veris doloribus, foetus antea excludatur quam obstetrix aduocari possit. Qualis exclusio nimis cita, propter accedentem saepe haemorrhagiam aliasque circumstantias, matri foetuique excluso noxia esse potest. *Veri* autem partus

tus

tus dolores, sicuti ad exclusionem foetus maxime sunt necessarii, ita funesti esse possunt, si praeternaturalis aliquis adsit status in situ aut forma foetus, aut in matris conformatione, aut constitutione. Si enim venae sectio fuerit neglecta, & plethoricus adeo status, haud raro funesta aut periculi saltem plena oritur sanguinis versus alia loca congestio, vomitus cruentus, haemoptysis, haemorrhagia cerebri. Si excedentes fuerint dolores & femella debilis, plethorica, spisso sanguine gaudens, oriuntur nonnumquam lipothymiae, quibus non solum partus ob sensationem deficientem, retardatur, verum ipsa parturiens in maximum deducitur vitae discrimen. Si enim circulus sanguinis in quo formale vitae consistit, non cito debitis remediis exhibitis restituatur, sanguis in corde & venis maioribus cito coagulatur, ita ut mors inde necessario subsequatur. Haud raro quoque ob nimios dolores, uterus nimis debilitatur, sanguis versus uterum nimia copia ruit, & stagnans in relaxatis vasis, vel inflammationibus viam pandit funestis, vel fluxum lochiorum inducit post partum nimium. Facile patet, idem valere de *doloribus conquassantibus*, quibus vel apoplexia subitanea superuenire potest, vel reliquae iam expositae noxae oriri possunt. Magna itaque prudentia atque circumspeditione opus est, ne vel dolores excitentur nimii, vel dolores nimis compescantur & mitigentur.

SECTIO IV.

DE

DOLORIBVS PARTVM NON
ADIVVANTIBVS.

§. XXVIII.

Ad dolores, qui partum non adiuuant, referimus dolores sic dictos *spurios*. Inchoant sensu vehementissimo scindente a lumbis vsque ad superiorem peluis aperturam.

§. XXIX.

Ortum suum debent fitui vteri obliquo, vbi axis vteri axi peluis non responder. Tunc enim Caput infantis aut alia pars, ossi cuidam peluis apprimitur, pariete vteri intermedio compresso, ac debilitato, vnde vis vteri versus centrum orificii promoueri nequit, sed versus hunc parietem, reliqua vero portio orificii sese constringit, & decentem aperturam impedit. Vterus versus vaginam non tendit, sed magis eleuatur.

§. XXX.

Cum autem sine debita orificii vterini apertione, nullus partus finiri queat, hi dolores spurii profecto erunt remouendi, vel in veros mutandi. Impetratur autem haecce mutatio, si obliquus situs vteri naturae artisue moliminibus fiat rectus. Foetu enim
in

in axi peluis haerente, orificium vteri aequali vi premitur, ac ceteris paribus, exit embryo.

§. XXXI.

Praeter spurios hos dolores in ipso vtero obuenientes, alii quoque dantur spurii dolores in intestinis praesentes, & colicam constituentes vel flatulentam vel spasmodicam. Spasmi enim in vtero faeuientes, per consensum intestina quoque afficiunt, eorundemque produciunt constrictionem dolorificam. Tum aer inclusus, a calore expansus, vel propter pressionem diaphragmatis & musculorum abdominalium compressus, validissime se expandit, & quaqua- uersum intestina premens dolores producit & motum peristalticum auget. Porro propter spasmos in vtero ortos, sanguinis progressius motus in toto abdomine turbatur, hinc & in membranis intestinorum stagnat, stagnando irritat vasa intestinorum, & spasticas eorundem producit strictureas. Dolores hi optime sopiuntur, solo quieto decubitu & pulueribus temperantibus nitrosis, potiunculis ex aquis temperantibus & leniter antispasmodicis cum nitro, pilulis balsamicis & clysteribus emollientibus, & paregoricis.

§. XXXII.

Sicubi autem accidit, vt eiusmodi tormina ac spurii dolores parturientem feminam eodem tempore laceffant, coniunctim dolores audiunt mixti vel *aequinoci*.

§. XXXIII.

Ultimi tandem sunt *dolores post partum*, omniumque acerrimi, nam post foetus secundinarumque exclusionem, feminae quaedam perpetiuntur gravissimos cruciatus in abdomine ac regione pubis, ita ut haud raro proclamant, se decies partus dolores veros perferre malle, quam vna vice hosce. Oriuntur autem hi dolores tum a sanguine, in utero & intestinorum membranis accumulato atque stagnante, tum a debilitate ex praegressa tensione & expansione, vel a spasmodicis & doloribus producta. Omnis enim dolor, omnisque spastica strictura debilitatem infert. Unde humores accumulantur, qui tum distensione vasorum, tum acrimonia dolores inferunt acerrimos.

§. XXXIV.

Solent quidem vulgo hi dolores pro minus periculosis haberi, adeoque a plerisque negligi. Verum enim vero, his minus rite tractatis, dici non potest quot malis atque morbis lata nonnumquam aperiantur fenestra. Si enim plane hi dolores negligantur, neque iustis remediis aegris succurratur in tempore, inflammatoriae in plethoricis stases oriri possunt, siue in utero, siue in intestinis. Si vero ortum duxerint hi dolores a retentione lochiorum, unde regurgitans sanguis versus alia loca abdominalia, imprimis versus intestinorum membranas, spasmos inducit & colicas sanguineas: periculi sane plena res est. Facile enim tunc retento in vasis uteri sanguine excernendo, a stagna-

stagnatione ibidem facta, acrimonia oritur putrida, qua per poros resorbentes ad Massam sanguinis delata, febres oriuntur exanthematicae malignae, inprimis vero purpura alba. Talis veto febris eo erit periculiosior, quo magis iam tum a perpeffo puerperio, tum a doloribus post partum, aegra fuit debilitata. Deficientibus enim tunc viribus vitalibus, iusta indicatio morbi fieri nequit, imo saepe exanthemate iam ad peripheriam delato, propter debilitatem internam, fit retrocessio versus ventriculum intestina, vterum, pulmones & interiora capitis, vnde inflammationes harum partium facillime oriuntur. Porro nimia debilitas ab atrociam dolorum inducta, inferre potest varios chronicos morbos, vt sunt cardialgia, malum hystericum, tympanites, imo ipse hydrops.

§. XXXV.

Haud raro quoque accidit, vt nimia saeuitia dolorum, indeque orta aegri impatientia, Medicum cogat ad fortiora antispasmodica & anodyna confugere. Hic vero opiata cautissime propinentur. Licet enim celerrime dolores his exhibitis cessent, relaxatio tamen fibrarum a spasmis praecedentibus iam inducta inde augetur, & sanguinis motus versus caput determinatur, vt haud raro apoplecticis insultibus pereant misellae.

§. XXXVI.

Optimum miseris est solatium horum dolorum
perio-

periodum si non incongrue tractentur, horarum aliquot termino finiri. Praecauentur, si post foetus expulsionem obstetrix manum suam in uterum dimittat, ut uterus circa manus pugnum aequali ratione se se contrahat, peregrinis remotis: pharmaceuticis remediis non neglectis. Inprimis vero hic conducunt clysteres & antispasmodica leniora nitrosa in pulueris vel potionis forma. Et si hi dolores ex fluxu lochiorum minus rite succedente orti fuerint, pillulae balsamicae.

F I N I S.



00A6282


ULB Halle
002 828 103


3



Retro ✓







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
 DE
DOLORIBVS
 PARTVM PROMOVENTIBVS,

QVAM
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
 D. IVNII CIOIOCCCLXII.

PRAESIDE
 VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO
 ET EXPERIENTISSIMO,
D. IO. PETRO EBERHARDO

MEDICINAE PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
 ACAD. IMPER. NAT. CVRIOS. ET ELECT. MOGVNT. SCIENT.
 VTIL. SODALI, SOCIETAT. TEVT. IENENS.
 MEMBR. HONOR.

FACVLTAT. MEDIC. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

PRO GRADV DOCTORIS
 SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
 LEGITIME IMPETRANDIS,

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBIICIET
 AVCTOR ET RESPONDENS
IOANNES SIEGISMVNDVS SACHSE
 GOLDBERGENSIS SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.

